





FOETUS EXILII SEXTUS  
Continens

# MELETEMATA

Partim nova: partim in adolescentia facta;  
nunc obiter revisa, aut relecta:

ADOLESCENTIBUS  
ORTU, INDOLE, SPE,  
NOBILISSIMIS

CHRISTIANO BÖRSTEL,

*Nobilissimi & Magnifici Viri*

Dn. HENRICI BÖRSTL.

*Illustrissimi Principis ac Domini,*

Dn. CHRISTIANI Senioris, PRIN-  
CIPIS ANHALDINI, COM: ASCAN:  
DIN. SERV. ET BERNBURGI, Presidentis &  
Consiliarij intimi, Hæreditarij in Güsten

& Plötzgau: FILIO,

*Nec Non*

BURCARDO AB ERLACH.

*Nobilissimi & Fortissimi Viri,*

Dn. BURCARDI AB ERLACH: Equi-  
tis: PRINCIPIS modò LAUDATISS: Consilia-  
rii, & Aulæ Mareschalli, Hæreditarij in Altenburg, &c.

FILIO, Discipulo carissimo:

DICATUS

Ab Andrea Rörello olim Ecclesiae Pöllingensis in Palat:  
Super: ministro, nunc Exule. P. C.

*Cothenis Anhaltinorum. M. DC. XXVIII.*

Ad Nobilis: summa spei ac indolis adolescentes  
CHRISTIANUM BÖRSTL,  
BURCARDUM JUNIOR: AB ERLACH.  
τροσφωνησις:

Quot CRASSIS memini doctas sordere Camenas,  
Hac quibus obruimur quam prius arma forent!  
Nunc are emuneti, consumptis edibus igne,  
Incisâ fastus luxuriæq; basi,  
Prædonum in lustris meditantur damna vianti,  
Vel castris satagunt querere adempta sibi,  
Aut operando manu victim venantur, amictumq;  
Hoc olim insueti ferre laboris opus.  
Na merito! In dominum recidit contemptus is ipse,  
Vergit in AONIAS qui sine jure DEAS:  
Quarum cultori gemmis & prævalet auro,  
Census, & ex illis ritè perennat honos.  
MARS furat immane, tremat orbis mixtus OLYMPO!  
Excipiet Mystas PALLAS honora suos.  
Hoc, ne fortuna stupeatis tela malignæ,  
Roborat invictâ vos ratione catos.  
Non ego divitias, non innuo frugis acervos,  
Vos DEUS, & vestros queis benedixit agros;  
Haud succipenos generosi corporis artus,  
Qui vigor indultu Numinis ossa sovet;  
Non disciplina Methodum, sumptueq; profundos,  
Stemmata Nobilium non atavita patrum;  
( Qualia contingunt etiam Diademata pravis,  
Indignis etiam participata viris! )  
Sed magis ingenij Genium, Morumq; Salillum  
Miror, & illustres indolis igniculos.

Suc-



Succedant anni juveniles dummodo, vestrum  
Apponent stirpi talia grande jubar.  
In vestri haec virtus dudum me traxit amorem:  
Virtuti Elogium concidat annè suum?  
Heic depacta mele ( testis simul ipsem adsto )  
In vos devoutæ tessera mentis erunt:  
Me vobis, & utriq; quibus commendo parenti;  
Quos commendatos vult mea Musa DEO.

PRINCIPI CUIDAM hīc avavūuq.

O Rbis & urbis amor terinclite PRINCEPS,  
Te mea demissso veneratur Epistola vultu,  
Conceptas subito fundere jussa preces:  
Auxiliaturo quam si dignaris ocello,  
Nullo novercantis tela pavesco D E A E.  
Quæ nunc scæva quidem; sed nullo crimine, crimen  
Est nisi ter sanctum ritè timere D E U M.  
Heu mihi, non eadem quod mens fuit omnibus! Hærent,  
Hærent ad PHARIAS cætera turba dapes.  
Nos aliter dij quibus est data buccina Verbi,  
Eligimus dirum fortiter exilium.  
Quæ tamen insonuit vox sanctæ dogmata legis,  
Cogitur heu pressis nunc reticere labris,  
Ære vacat loculus, quia fex stipendia nostro  
Debita sudori vertice rasa tenet.  
Sunt, patriâ cassis nolunt qui sede Colonis  
Pariete contiguo pro stipe ferre locum.  
Excruciat victus animum penuria, amictusq;  
Auctaq; cordicoquo sollicitudo metu.



Hinc mihi propitijs opus est Magnatibus, & Dijs,  
Ærumnas callent qui relevare meas.  
Conatum, vitio quis duxerit ergo, merendi?  
Procedat licito dummodo vena modo.  
Offero quocirca submissæ mentis opellam,  
Offero constantem cum probitate fidem:  
Me fore pollicor curâ meliore ministrum,  
In studio & stadio qui pietatis eam.  
Functio suggestus si quæ vacat, optime PRINCEPS,  
Vel Rectura Scholæ, præfice Rœrelium.  
Quid juvat illustri MUSAS coluisse LYCEO,  
Cognita ni liceat tradere fruge pijs?  
Te penes ambiguæ felix promotio sortis,  
Legibus assensus statq; labatq; tuis.  
Suspice virtutis niveo sub pectore amorem,  
Suspice conjunctam cum pietate fidem.  
Annue, nec tristem sine me sperare repulsam;  
Desinet in laudes mens calamusq; tuas.  
Pro te supplicuis superos onerabo libellis,  
Dum pennis æther finditur, unda rate.

ALII, & hic avanþuþ: in dedicat: Carm.

**Q**uum vacat, atq; placet, PRINCEPS generose, Poëma  
Hoc lege, contextum simpliciore stylo.  
Mentis opus lætæ sunt carmina tersa; sed isthæc  
Culta parùm! Ratio, sentio læta parùm.  
Hic intertextas gemmas, vice muneris, auro,  
Insignem phaleris offerat alter equum:  
Talia Rœrelio DEUS, & Natura negavit,  
Assueto rhythmos nectere posse leves:  
His ego, muneribus tanquam, (levidensibus etsi)  
Conor Principibus gratiore esse Viris. Mi

Mî cùm fortunæ spirârit amicio aurâ,  
Spondeo PHOEBEA lampade clara magis.

Illustriss: Dn.CHRISTOPHORO BURGGRAVIO,  
Et BARONI de DHONA, Dynastæ in STOCKENFELS  
& FISCHBACH, &c. Præfecturam Neoburgicam  
(ad Gabretam in Palat: Sup:) aggredienti.

Discussis tandem (Regum hæc est gratia Regis)  
Lucifer affulsit tenebris. Ciet incola tractus  
Ennea pyrgensis resonanti jubila voce.  
Scilicet Antistes THEMIDOS, pietatis asylum,  
Nobilitatis honos, regum cynosura ducumq;  
(Quos tibi non titulos livor, non auferet hostis)  
Jussus ades policis, polico mandante senatu,  
Archivis, nostræ lampas Titania Zonæ.  
Proclamat sanè merito se jure beatam  
Urbs indepta Ducem potatum Thespidos undis!  
Tempus erat mitti. Cassos pastore nociva  
Cernimus agnellos sectari devia, nec non  
Impete præcipiti fauces saturare lupinas:  
Par ratio vulgi, cui ne sapientior ore  
Mica sedet; removeto duces, obtusa subinde  
Collutulat spurco vitiorum pectora cœno.  
Sacri languet amor cultûs: viduata patrono  
Jura gemunt: Legum gliscit violatio: nauci  
Penditur adfluctus probitas extrusa marinose:  
Jurgia, furtæ, doli, levitas, perjuria, lites,  
Involitant denso perversas agmine mentes.  
Exere connato Generose Dynasta vigore  
Percitus impositum, præstò seges, astuta, sceptrum  
Astrica successum præbebit Curia; donec

Centupla subjiciat fidei stipendia fidæ:  
Quippe nequit falli sacris promissio libris,  
Quid multis? potius calidum quin suggero votum?  
Præsidis *alma Trias* sacro sancto perfice mentem  
Flamine, qui studio tibi sese mancipat uni:  
Cosptaq; progressu nuper dignare secundo:  
Discute quæ glomerat nocuas vis hostica technass;  
Machina telluris, trutinat quos pectore, fructus  
Quò metat, ætheream vivaxq; redundet in aulam  
Gloria, quæ morum cluet unica norma piorum,  
Hæc ubi lecta scies illustri Musa BARONI,  
Poplite curvato grates persolvito nostro  
Nomine, responsi non immemor. Ito, redito.

Illustri Dn. JOH: GEORGIO LIB:BAR:  
in Eck & Hungersbach, &c.

**G**loria Cœligenæ virtutis dicitur umbra;  
Invitos etiam concomitata viros.  
Umbra præit veluti partim, partimq; sequestrat;  
Procedit pariles gloria adepta pedes.  
Exponit partim, partim velamine vultum  
Obnubit: major, sera sit illa licet,  
**D**EMOCRITI furor insanos dum nutrijt artus,  
Innumera ACTÆUS sensit iniqua senex,  
Respuuit ignotum bellatrix ROMA CATONEM,  
Occidit ut primùm, plena dolore gemit.  
Incluta RUTILII pietas probitasq; lateret,  
Ni foret infaustis exagitata malis:  
Exilium placido vultu perpessus acerbum est.  
Causa voluptatum sors fluibunda fuit.  
Nescia velari virtus, latuisse recusat,  
Ignea nam radios spargit ubiq; suos.

Præ-



Præsentis pressam turpi feritate popelli  
Extollet viridi postera laude dies,  
Est miser, & paucis natus præsentia curans;  
Bestia quò figit, figit & ille gradus.  
Venturis confide, regit præsentia livor;  
Spem ventura, decus, judiciumq; ferent.  
Vise BRAO nitidis speciosæ Encomia ocellis  
Virtutis, vero cujus amore cales.

JOANNES GEORGIUS CZIGAN BARO.

Z. in S. per anagram: Canebo in sinu gregis: agas, oro.

**O**rdine sanctum naturæ est. CROESUS ut IRO  
Imperitet; famulus jussa capessat heri:  
Munificus contrà CROESUS compareat IRO;  
Subditus excipiat sceptra gerentis opem.  
Iri commissum quoniam mihi judico vulgus;  
Norma gubernandi quæ rata, nōsse juvat.  
Scilicet eximiâ pietate fideq; decorus,  
Prosequar insolentes munere, cæde malos.  
Eripiam, si quem fortuna sinistra fatigat;  
Haud patiar luxu plebs ut inerte fluat.  
*In gregis hinc canebo sinu*, tanquamq; puellus  
Mollibus in eunis illibi tutus agam.  
Est ita celse BARO; nec lex humana retractat:  
Oro, velut fatus, numine jutus, agas.  
Turba sequax CHRISTI quò gestiat; astraq; migres  
Serus; gemma solo, stella corusca Polo.

JOAC(H)IMUS COCHTITSKI. K. in C. ana-  
gram: Mitis cor, hoc vici, ac stabo.

**A**rrisit pia mititas  
Hinc à præteneris unguiculis mihi.      ultrà

ultrà odi, rigidos, modum,  
Quorum pectoribus livor inhæsit.  
Ad GANGEM CATO stoicè!  
TIMON sub Scythica rupe senescito!  
*Mitis cor* ego scilicet:  
Mœrentes rosido melle refrigero.  
Hoc, plaustellæ malignuli  
In me cùm jaculati vaga criminum.  
VICI prævalide; aucupem  
Delusi improvidum sicut & alites:  
*Ac stabo*, bona nomina  
Mordaci laceret dente malignior,  
Vel famæ maculam meæ  
Si præsumperit haud cautus inurere,  
Hinc terris honor inclutus,  
Gliscet mi superis gloria celsior.

ANDREAS COCHTITSKI BARO, K. in C.

Anagram: Bicresco, Doctrinâ, Haftâ.

SEstari turbæ quia nobile castra novenæ,  
Omnigenâq; animor arte polire rudes:  
Tutari ferro, quia res preciosa, paterni  
Jura fori, & sanæ Religionis opes;  
Me fore conspicuum terrâ confido mariq;  
Exsuperaturum mascula facta Ducum.  
Nam mea multiplici doctrinâ pectora limo,  
Potoq; Castalij lumina larga vadi.  
Quin hostes hastâ truculentos, pectore fundam  
Intrepido patriæ monstra nociva cacos.  
Inde bicresco, duplex sperans diadema, gradivus  
Quod capiti neget MARS & APOLLO meo.

Præccl-



Præcessi, voveo, faxit director OLYMPI,  
Immensum dictis pondus inesse tuis!

Illustribus ac Generosis Dn. Dn: JOHAN SIS-  
GISMUND, & GOTTOFREDO KAZIA-  
NERIS, L.B. ARGENTINA in ITALIAM abeuntib;  
*προσευτικόν*:

**Q**uæ vos ARGYROPUM commovit ab urbe Scholāq;  
Ad patrios gressus causa referre lares?

Nausea fors Dio semper latitare sub uno?

Est: nisi mens falsis ludit imaginibus.

Nonné agmen Comitum, vos nonné corona Baronum;  
Nec vos Nobilium detinet ire chorus?

Sed benè. Nam nimium (quod lemma est) vertitur omne  
In vitium: foetent, nî moveantur aquæ.

Ergò bonis avibus, CHRISTO duce, & auspice CHRISTO  
Ferte gradus, tardet nec remora ulla vias.

Felices primū nativas ite sub oras.

Colloquio illustres exhilarate patres:

Postmodo ad AUSONII speciosa palatia Cœli;

GALLICA dehinc celeri pergite claustra pede.

Ad BELGAS bello celebres contendite, & ANGLOS,  
Qua TAMESIS virides in mare volvit aquas.

Naqtæ etenim peregrinando prudentia vitam

Percolit, & mores non sinit esse rudes.

Hæc sedenim nunquam regione paratur ab una:

Ite per EOOS; ite per HESPERIOS.

Ite mei memores. Vos JOVA secundet euntes

Ite, viam præeant numina sancta, precor.

B

JACO-

JACOBUS à BRUCK. K. in C. Anagram :  
Curis accubabo.

Sudabo Curis patriæ acq; cubabo Themista,  
Horrida commissio pro grege scuta geram.  
Excipit invalidum pastor ceu pervagil agnum,  
Sic pressos BALDI ductibus excipiam.  
Præmia, vel meritos ubi denegat illa colossos,  
Haut moror: Eripet me THEMIS alma rogo.

MATTHIAS BRUNO AUSTRIA VVELSEN-  
SIS, (Nobilis,) Anagramma Quintuplex.

1. Sonas venâ ; limas virtutibus artes. d. h.
2. Nitor, vis Musis ; Laurus te sana beat. d. h.
3. Natus amoribus ; in te res; vita, salus. d. h.
4. Tutas Eros; in basia vera stimulans. d. h.
5. Lætatus sub AONIIS retrahis munus.

Nomina quæ perhibent varijs tua versa figuris  
Eulogia haccé tibi exiguâ transmittere chartâ  
Constitui, pariter lauri de frondibus, imo  
(Luce jubente sacrâ) gratari pectora, baccas.  
Rite sonas venâ ; dum confidis auribus apta  
Carmina mulcendis. Limas virtutibus artes,  
Doctrinæ mores dum conformare laboras.  
Hinc nitor es M U S I S, hinc vis validissima. Fallit  
Doctrinâ sepe qui profecisse putabit,  
Sit nisi vita ejus mortum studiosa bonorum.  
Hinc laurus te sana beat, nomenq; perennat,  
(Cùm, quâ cepisti, perges decurrere cursum.)  
Nam minùs ecquis amet tua? quis caput aut maledictis  
Proscindat tenerum? næ natus amoribus ipsis  
Cerneris esse mihi, cùm sis affabilis omni.

Ocia

Ocia, pulvinar Sathanæ, cane pejus & angue,  
Dum refugis, res est in te, tum vita salusq.  
Quod si ita, non dubium, tanti cur dignus amoris.  
Plurima nam patriæ, genitoribus, inde propinquis  
Commoda portendis. Certè es mihi *tutus eros*, me  
*Basiaḡ in vera stimulans*: dum mentis acuta  
Admirabundus perpendo dona, favore  
Te complectendi justam mihi suggeris ansam.  
Jure sub Aonijs capropter APOLLINE munus  
Præsule latatus retrahis: quod honoro. Sat isthoc!

M. THOMÆ LAURENTIO VVALLISERO  
Ethicæ Profess: Argentin:

Dum vagor externis hospes despectus in oris,  
Plurima tristitiae signa capesso novæ:  
Horreō, quæ video; perceptis aure fatigor;  
Inter vix unum millia mille placet.  
Hoc latro cæde solum, furum vel copia, vastat,  
Hæc tellus scortis dedita, at illa gulæ est.  
Hic perversorum trutino fundamina morum,  
Pensito vel turpis retia passa lucro;  
Non nihil & nostræ delinquent membra cohortis,  
Cui PARNASSIACI credita cura jugi.  
Sed, quia sincerum nihil undiq; ; præstat amatas  
Pervigili studio continuare DEAS.  
Horarum quamvis jacturam sentio, curtas,  
Dissita quas negat heu patria, propter opes.  
Tempora quæ studijs essent tribuenda, docendis  
Exiguo pueris (proh pudor!) ære loco.  
Metamen haud minimum suscepit APOLLO ministrum,  
Dum duplices fructus hora superstes agit.

B ij

Et

Et licet implumis reliquas quandoq; CAMOENA  
Publica spectatum per loca nostra volat.  
Magnificos Princeps quærendi est causa patronos,  
Et specimen dandi conveniente modo.  
Factitat ut festi præsenti conscientia chartâ,  
Argentinensis gnata quadrima Scholæ.  
Quô, nisi lâbor, eris placatus munere, vena  
Profundit tremulo quod tremefacta pede.  
Commoda quæ tenui medioxuma tempore lapsi  
Sensisti, cornu compleat aura DE U M:  
Eq; tuo semper procedant omnia voto,  
Exul eat patrijs pestis acerba focis.  
Occule ne, superest si quæ scintilla favoris,  
Esse magis curæ me patiare tibi.  
Nam beat omnigenâ PHOEBEOS quisquis alumnos  
Commoditate, manet gloria perpes eum.  
Quæ glomerat blatero nullius scommata lancis,  
Deprime, veridicis est adhibenda fides.  
Candida, quæ paucis, nostros mens occupat artus,  
Quô fruor, ætherio provenit axe favor.  
Quocirca puppis studiorum & prora meorum,  
Quod potes, ut præstes, supplice voce rego.

Gratulatorium in Nuptialem celebritatem JO-  
HANNIS TAUFRERI, Doct: Theol: Pro-  
fess: Argent:

VIncula celsa TRIAS casti benedicat amoris,  
Conspicui calamis Eloquijq; viri!  
Alma MONAS placidis decurrant coepita quadrigis,  
Molitur Zelo quæ pia virgo pio.  
Agmina conjugio sacrosancta litate recenti,  
Ne subeant tædæ tristia damna novæ.

Hîc

Hic locus est votis, Sathanæ quia perfida nuptis  
Retia calliditas tendere dira solet.  
Nempe ubi succrescit validis Ecclesia membris;  
Fervet in infernis dirior ira locis.  
Stragibus infestat quo quis gravioribus hostem,  
Hostili veniunt plura timenda manu.  
Hinc, tibi salvifici curæ quia gloria Christi est,  
Bella tibi Sathanæ turba dicata movet.  
Latiūs Hæreticis falsantibus aula patescit,  
Sincera ductis quam probitate viris.  
Stigmate quam turpi lacerent tua nomina, nōvi,  
Injicient famæ criminā quanta tuæ!  
Despicis intumidi cordatus fulmina mundi,  
Tela θεανθρώπων & fretus amore geris.  
Ne lupus invadat CHRISTI defendis ovile,  
Ne pessum simplex, prospicis, erret ovis.  
Non ideò miror, quo numine fēmina votis  
Tam proba proveniat consocianda tuis.  
Flamine respondet doctus Psalmista supremo,  
Tanta quod astriferis elicienda plagis.  
Consciæ devoto suspirat Numinis Zelo,  
Prodit id eximiâ, quam sonat ore, fide;  
Suspicit ingenuo cœlestia pectore, nulli  
Inferior solidâ stat probitate viræ:  
Æmula JUNONI meritò est vocitanda, trucidat  
Affectus, vitijs bella probanda movet.  
Crimina devitat castum temerantia pectus,  
Fraude, dolosq; carens candido amore calet.  
Præcellit VENERI formæ vultusq; decore,  
Clarum virtuti dedita nomen habet.

Allus:  
ad  
Melz:

O fortunatam factam Doctore maritam!  
Hâc fortunatam conjugem teq; virum!  
Hæc cor amore flagrans rutilante serenat ocello;  
Tu caput illius, tu decus, aura, salus.  
Ceu monet officium, quod si, gemitusq; piorum,  
Capta perurgebis codice bella sacro:  
Omnia cœlestis cornu tibi gratia pleno  
Suggeret, ac ullâ nullus egebis ope.  
Sol velut æternum celo rutilabis OLYMPO,  
De facie ad faciem conspiciesq; DEU M!  
Nec casum timeo, tibi stat victoria, partis  
Viribus adversæ prævaluere tuae.  
Nec fodienda solo superum commissa talenta  
Patre, sed ingenti sunt duplicanda lucro.  
Fortia consolidat bonitas tibi pectora causæ,  
Nec sinit immeritâ te cecidisse nece.  
At quia præsentि disconvenientia rhombo  
Connoto, ad inceptum penna refleste gradum.  
CHRISTUS ABRAMÆOS sponsum fortunet in annos!  
Sponsa JACOBINA prole beata siet!

---

EPICEDIUM in obitum PHILIPPI MICHAELIS BEUTHERI Superintend: BIPONTINI.

Est exercitui similis sacra concio, CHRISTUS  
Dux ubi primus, & hinc Optio Præco Ducis.  
Quisq; pius, miles; Sathanus, caro, mundus & hostess;  
Arma, preces: pugnæ dona, corona Poli.  
Tolle sacrata DEO tristes Ecclesia planctus,  
Plange BIPONTINO subdite civis Héro.  
Optio qui superæ tibi pandit ad atria sedis,  
Celsa viam, mortis triste subivit onus.

Cœtus

Cœtus amicorum tollat suspiria, gnati  
Flete pij vestri funera moesta patris:  
Sed fletu paciente tamen, nec ut Ethnica turba,  
Quæ sua desperat fata, gemitq; male:  
Nescia venturis iterum sua corpora seclis  
Victura, & superis associanda choris.  
Haud ita, qui CHRISTO dederunt sua nomina, vitæ:  
Spes quibus æternæ mente reposta sedet.  
Aut nixus CHRISTI merito, fideiq; bacillo  
Fretus in excelsa sede beatus agit:  
Sanguinis aut grumos, virgas, flagra, vulnera Christi  
Æquiparat nūgis, parvi facitq; necem.  
Si prout excessit peccato immortua vivis  
Turba, trahi fletu curia diva nequit:  
Ast ubi speratae JESUM colophona salutis  
Credidit, & sanâ cessit ab inde fide;  
Victor in æthereâ tollente triumphat in aulâ  
Jubila sanctorum Spirituumq; choro;  
Respuuit ac tristi pro se suspiria corde  
Mota, nec humanas amplius optat opes.  
Hinc, nam Zelotes mœrorum valle peregit  
Veri loquâ CHRISTI, nomine, voce vices,  
Sana salutiferi vulgando dogmata verbi  
Tradendo vitæ post documenta piæ;  
Ede dicata DEO lertos Ecclesia plausus,  
Plaude BIPONTINO jure regenda manus:  
Ordo propinquorum, gnati quoq; parcite fletu,  
Vos quo venturos crepitis, illud habet,  
Constanti quoniam clausit certamine pugnam,  
Splendida Christigenûm munera Rege capit.

Sena-



Senatui Urbis

**J**OVA Magistratum sancto pronunciat ore,  
Respectu officij, quod gerit, esse D E U M.  
Is mihi concessit gratis spiracula vitæ;  
Particulam victus addite more pari.  
**Q**ui minùs? Excepit quot munera Martia proles?  
Diripuit vestræ quæ ditionis agros!  
Haut ego: pro vestra qui missito in æthera votum  
Religione; focis, conjugibus, sobole.  
Sentiet hinc leve, vel nullum Respublica damnum:  
Sin grave, florenis pro tribus octo date!

M. OSEÆ SCHADÆO ad Div: Senior: PE-  
TRUM ARGENTIN: Pastorem.

**S**I mihi NASONIS flueret, vel Vena PROPERTI,  
Quale tibi canceret nostra THALIA melos?  
Nunc solidi lyra nostra nihil cum tinniat: isthæc  
Pauca canit, FESTI pro ratione tui.  
Festi quod faustum, passim gratantur amici,  
Et vario ritu quod tibi ritè sacrant.  
Est aliquis tenero tibi qui de flore corollam  
Nectit, & hanc capiti dedicat ille tuo:  
Sunt qui Sericeis decorant tua Nomina vinclis:  
Non desunt auri qui tibi dona parent:  
Est qui dapilibus tibi mensas instruat Escis;  
Est alijs studeat qui placuisse modis,  
Nullius hæc quisquis momenti dixerit, errat  
Non etenim offendunt talia dona D E U M.  
Inter at hos quid ego? fert quod cuiq; arca ministrat;  
Ipse feram ingenij munera parva mei.

Pecto-



Pectoris immò pij: Sunt hæc sunt ardua vota;  
Vota quibus superi pondus incesse velint.  
Præsttit à cunis quæ te clementia salvum,  
Felici ceptum tramite porgat iter:  
Annos, judicium, vires, bona nomina fama,  
Protrahat in seros haud ruitura dies.  
Sic ego: sic quisquis verè tibi semper amicus  
Esse volet, ipsâ junctus amicitia.  
Post illa: placidâ comple dulcedine mentem,  
Plaude, fave, gaude, gestibus, ore, animo.  
Oppiparos eſus, ac Cretica vīna vocatis  
Prome, præi plausu pocula plena pio.  
Autumo, me nīſi mens nocturnaq; ſomnia fallunt,  
Sic fore; ſic etenim lex ratioq; jubent.  
Me tibi convivam poſces ſimul atq;, precabor,  
Hæc redeat pompa ſplendidiore dies.  
His comperta tuos ubi promeruisse favores,  
Concipiet placidos dicta θαλεία ſonos:  
Eja tuō dignum Vir me Venerande favore,  
Eja tuā dignum me fac amicitia.  
At ſatis eſt. Hæc ſi placeant; me plura daturum,  
Carmina, tres tres tres ter tibi juro D'EAS!

---

Dn. M. PAULO CRUSIO P. C. Gymnasij  
ARGENTIN: Rectori.

Posteriora ſolent meliora prioribus eſſe;  
Erravi, erratum corrigo grande meum,  
Evenit haud raro Studiosis flebile labi;  
Erratum penitus tollere nolle, nefas!  
Næ metra paſturus nullis authoribus utor,  
Doctrinæ ducibus deſtituorq; libris.

C

Corri-



Corrige sollicitis defectum flagito votis,  
In me ne lector dira venena vomat,  
Festinans cecidi, posthac, sed cautor ibo:  
*Piscator prudens ictibus esse solet.*

Ad CASPARUM BRÜLOVIVM Poëſ:  
Professor: ARGENTIN: pro discipulo.

Promeruit diuturna graves absentia poenæ  
BRÜLOVI Musæ fautor amande meæ.  
Nostris exhibitor curis concreditus iram  
Sollicitat flecti voce precante tuam.  
Octiduo charos elapso invisit amicos;  
Sustulit hoc biduum, Musicæ, ut inquit, amor.  
Condones veniam, votis contendō: Futurum  
Spondeo discipulum de meliore nota.  
Classica quod tribui voluit sibi lectio tempus,  
Utile privatum reddidit id studium.

Reipl:  
Argent:  
Mus-  
cus.

C(H)RISTOP(H)ORUS THOMÆ VVAL-  
LISERUS d. a. Anagramma: Suave prout litas  
melos; cor uris.

*M. Christophorus Thoma Walliserus; d. h. anagram.  
Servor solum arte politus Musica.*

BEllica qui celebrant patriæ tormenta potentis  
Repperias, triplices muros, fossasq; profundas,  
Aptaq; crudeli juvenilia robora M A R T I.  
Esse quid, haud dubito. Verùm modulante CAMOENA  
Nocte dieq; tuâ longè speciosius isthōc  
Proſilit Elogium, atq; augustior exit OLYMPO  
Gloria. RHENANI testis venit accola tractus,  
Subſcritbit VIADRUS NICRO, nevè abnuit ALBIS,  
ISTER

ISTER erit testis, BOIU M MOLDAVIA testis.  
Nec, cui mica salis, negat hoc, sed id approbat ipsum,  
*Suave prout melos arte litas, cor scilicet uris.*  
Jure proin proprio proclamas; *arte politus*  
*Musicā in hac solum servor.* Proh vate beatam  
Te patriam! Procul hinc te nescia namq; ruinæ,  
Sospite splendescet. Renuit nec APOLL O sacratâ  
Arce sedens, sic est; sic est, ait, infit & ipsa  
Blandula MELPOMENE. Spernas ne fortè tenellæ  
Applausus, rogo, Præceptor amande, θαλείας.

Ad ANDREAM VIGILIUM Superintendentem  
Neunpürgensem (ad Gabret. Boh:) discessurum,

PERfudit dubiam nuper dulcedine mentem,  
Pacificum VIGILI dictans te nuncia Mystam.  
Quanta salutiferum rotat inconstantia fidus!  
Quanta propinatum rapit inclemencia nectar!  
Vah dolor! Unius quò delectamina mensis?  
Plena movet gemitus nocuis mutatio damnis.  
O utinam eventus reprehendat falsa profatum!  
Insignem pietas quoniam tibi pervia famam  
Parturijt; (præsens reprobae medicina catervæ  
Nec non canitiem decorans diadema senilem)  
Te mea mansuro haut timuisset cymba charybdin.  
Spes ruit; ut fuscâ mugit Discordia veste!  
Aurea collegas quòd si Concordia neget,  
Materies lacrymis evanuit apta ciendis.  
Alite sed, fati de jussu, vade secundo,  
Munia capturus longas recreantia curas.  
Cœlica fortunet discessum gratia, Livor  
Densa tuos propter figat vestigia gressus,

C ij

Nemo



Nemo tui posthac; FRI miseretur egeni:  
Scin'? Procul à Codris livor, miseratio Crassis.  
Tum licet aspectum sublato corpore fallas,  
Unita est validis animam conjunctio vinclis.  
Semper honora tui nostris immixta loquela  
Mentio, vitiferâ donec tu vesceris aurâ.  
Exsurget. Patrem ut præstes, tibi filius asto.

Dn. M.

V V E N C E L I O Theolog:  
disputanti.

Hærefiarcharum quas conjuratio finxit,  
Confutasse plicas, aurea puncta meret.  
Aurea cuncta meres; gentis quia dogmata prava  
Prava. DEI verbo discutis, ense velut.

EIDEM.

THEIOLOGIA Fide nos fert PAULINA beandos,  
Atq; vel ANGELICIS fert Anathema choris.  
Si quicquam contrà. Contrà tamen impius Anti-  
CHRISTUS. An impunè? Cur? Quia major ijs?

M. ZACHARIÆ TAUFRERO.

Sævos, omnine perdiso,  
Telis, ignibus altum furiens, alit  
MARS suavi ALSATICUM solo,  
Præmonstrans spolij climata, milites.  
Præfecto AONIDUM pari

Docti confociantur modo APOLLINI.  
Discrimen, bone Zéu, quod est!

Nam castris sub ijsdem latitant simul:  
Miscetur Polus in solo  
Bellis: MARS jacet exul quoq; sèpius.

Vah.



Vah cautum Ducem APOLLINEM!

Vastantem nihil, haud sanguineo impetu  
Spumantem! ARGENTORUM, duce

Hoc tutam! Nihil spicula! candidos,  
Quorum proflis agmine,

Tanto belligerantes duce milites!

---

Dn. GEORGIO SCULTESIO, Superintendenti  
Neuburgensium: (in Archi-Palatin:)

Salve SCHULTESI Christianæ buccina pugnæ,  
Et data THESEO famina conde sinu.  
Est mihi cura Scholæ, sancti tibi crèditæ templi,  
Laudis onusta tibi, compra labore mihi.

Suspicio titulum Seniorum lege, cedroq;

Consigno dignis munia tanta logis.

Cedat in astrifícis laudes: Ecclesia, nec non  
Privi decerpant emolumenta lares.

Particulam genitale solum quia postularat ortus

Nostri, particulam cum Genitore, D'EUS:

Concessos mentis divinitus exere nervos,

Sacra salutarem Curia poscit opem.

Patria quæ vitæ concessit lumina, viatum

Concedet, summo donec honore cluas.

Perfida speratos renuit si factio fructus,

Astrica millecuplas aula redhostit opes.

Ossa vacillabam gaudi liquefacta calore,

Primitus ut tibi pes fixus in æde sacrâ est,

Biblica quandoquidem nôsti magnalia, calles

Exactè Sophici tum monimenta fori:

Hinc surget medicina meis adhibenda lacunis:

Alter ab alterius quippe levandus opt.

Nec sanè, fraudum fucos exosus, adulor  
Auribus; Eloqujs consona sensa meis.  
Vergat ēgis, blandum patefac concordia vultum,  
Discidij ēs nōpanas semine quisquis ovat.  
His, pro re natā, tibi grator honoribus aucto;  
Si placuisse tibi sensero, sufficiet.

*Eidem aliud, in quo allusum ad Nomen GEORGII.*

Proles rustica præparando campos,  
Verno sidere, proximavit ardor  
Cum PHOEBI, variae simul farinæ  
Ruris clima ta surculis obumbrant:  
Quorum fructibus assolebat olim,  
Nec desuescit adhuc A D Æ propago  
Defessas cata roborare vires.  
Nomen provenit hōc modo G E O R G I I,  
Quo, fautor, quoq; tute nuncuparis.  
Discrimen tamen obvenit vel ingens,  
Inter te, reliquosq; glebitribas.  
Conquirunt stomachis ij necessa,  
Fulciri quibus artuum patescit  
Structuram: at policæ frutex cathedræ,  
Vallem mœstitiæ, quietis almæ  
Mutat planicie, flagrante dudum,  
Circa quod pius occuparis œstro  
Semen, codicibus sacris petitum.  
Cœnosas subigunt deindè glebas;  
Agri pectora sunt proterva Mystis.  
Adjumenta locant ijs secures,  
Currus, flagra, boves, aratra, stivæ:  
Instrumenta Sacra dicata linguae  
Sunt vobis, ope qualium tonatis,  
Afflatu superūm quod imbibistis.

Tellus

Tellus stercore pinguefacta prodest;  
Verùm pectoris arva gratioſo  
Disponit tripotens MONAS favore.  
Mercedis vice pauculum capessunt  
Aeris ruricolæ, foro reponunt  
Venales, nive ſi cadente, fructus:  
Circa ſeminium ſed occupatos  
Devotâ pietate facro-sanctum,  
Æquari radio, refert Propheta,  
Solari per aſyla ſeculorum.  
Nec raro furor ille grandinosus  
Mortali creat anxias catervæ  
Ærumnas, flagra quando carioris  
Annōnæ feriunt amica avaris:  
Jacturam patitur calente nullam  
Præconum integritate candidorum  
Semen per loca sancta diſſipatum,  
Proventu remeat ſed ampliori.  
Hoc vitæ genus eligunt & iſiſ;  
Tu jussus statui præes ſacrato,  
In damnum Sathanæ, DEIq; laudes.  
Rebus nomina convenire, clarūm  
Exemplo liquet hic tuo probari.  
Culturam benedic JEHOVA tanti  
(Quod voti caput unicum) colori:  
Quin morbis SCYTHICAS procul paludes  
Expulſis ſenij triumphet Ostro.  
Ut fiat, furor urget impiorum,  
Electæ fabricans dolos coronæ,  
Plutonis rabies, throni ſtupendum  
Divini decus, omnium ſalusq;

M. STA-



M. STANISLAO HORLERO,  
LEUCO-HUNGARO.

**M**Arte gravis, gestis vastum celebrata per Orbem,  
Nec non Christiani firma columna gregis  
**HUNGARIA:** exhaustæ regionis provida nutrix,

Terra potens auro, frugeq; terra potens.

Sed tamen arte minor, titulisq; Scholaribus. Atq; hanc  
**TEUTONIS** ora tibi præstat amica vicem.

*Par quia nempe pari.* Namq; ut **GERMANIA** per Te  
Tuta: per hanc sic & tu quoq; Docta clues.

A	uri quanta fames! pro	H!	argenti quanta volupta	S!
N	ec quisquam in prec	I	o, cui nisi pingue ver	V!
D	um mirabundus studio	S	ius hæccé volut	O,
R	idendo, pectus con	C	utit ossa meu	M.
E	jecta è terræ gremi	O	fœdissima gleb	A,
A	spice materia est; e	N	mala quanta, cie	T!
S	urge MYDA ô opulente &	G	azis CRASSE superb	E,
R	umpe moras opibus cu	R	capiare refe	R?
O	stoliðe, ut VENUS est m	A	culâ non absq; sine hae noN	
E	st quoq; forma auri!	S	Tercus amas! Fatuum	O!
R	upta MYDÆ vita est a	V	re,&CRASSI Meritò ergò hiC	
E	st felix, auro, & qui va	L	edicit hum	O!
L	uce sacrâ his tibi faust	A	cape ô tu gaudia, si ve	L
I	lia disruppan	T	livida turba, cap	E!
V	ive tuis columen, mihi amicV	s	viveq; fauto	R;
S	ic dignus fuer	R	is tuq; favore me	O.

JOHANNI CAROLO ROSENBERG

Metaphys: disputanti: (jam Doct: Med:)

**R**eginam prisci PRIMAM dixerè SOPHIAM;  
Felices ejus quotquot adussit amor!  
Gnavus ovat palmâ; ceu mergitur erro CHARYBDI,  
Reginam statio quæ propè tuta magis.

Hac

Hâc duce versutos potis es superare Sophistas:

Hâc duce PHILOSOPHIS æquivalere vales.

Hâc duce felici gelidæ per fulmina mortis

Impete perrumpis. Num tibi plura precer?

In PAULUM SWEND: NOR:

C Armine mactatus PAULUS, mihi reddere paulum  
Decrevit, posset cùm potiora dare:

Quærenti causam, responsum est: plura dedissem,

Nimea ZWINGLICOLIS nomina juncta forent.

Ast ego cum placidis peramanter gestio scribi:

Fructifera haud merces invida lerna tua est!

H ic, vir ubi certa  
I ngrediens animo  
S anguinis effusi no  
A eternum at vigeat, n  
N on nisi prælustris  
D ux etenim quacunq; vo  
R eligionis, amic  
E n tibi, finito bel  
A ecipe, sacerdotum  
S uggescit nobis,  
R espicit oblatis, ges  
O cius affari part  
E s duce qui PHOEBO  
R es tractans donis di  
E jiciunt stadio, pat  
L ucidia retromees  
I ugiter, AONIDUM, fa  
V irtutis, doctrinæ  
S urge igitur, prope

M en astrox, hostileq;, fort I,  
V alidâ vi concutit arm A,  
N, cædis, amoreve nome N,  
V illo quoq; concidat ax O:  
S udomis adorea fertu R.  
C at, comparet amor E  
O rum, subolisq; calent I.  
L i certamine lume N,  
L oquitur, spolia; ista JEHOVAH.  
A quo victoria tant A.  
T itq; domestica prospe R.  
V mqs ostendere. Sed qui D?  
M iles præsente Lycé O:  
G nas; te cura labor ne C  
R iæ modò peccore cult O,  
A d mœnia. Pergito præsu L,  
T ur; dextrâq;, perenn E  
O rnementumq; locatu R.  
R ansvultu cape dona seren O.

D

Dn.



Dn. ELIÆ LIMMERO, Pastori in Ursen solen  
celebranti Nuptias : præfiscinî!

**E**cquæ cervicem damnorum sarcina curvat ?  
Quid solitum placido porgere vela salo  
Delitijs juvat invisam contingere SYRTIM ?

Nubila tranquillo quæ ciet aura polo ?  
Pacta tibi festæ celebrari gaudia tédæ

Prodit in ambiguis littera missa notis.  
Præsttit annonæ nunquid clementia röbur ?

Proxima solivagus num pavet arma thorus ?  
Cœlificis peragi jussu profitebère : quid si

Conscius effecti solis uterq; gradus ?  
Conjugis ad stratum belli nec habebis asylum

Tempore, quippe rudis ferrea tela pati.  
Prolis amore jugo neceti patiēre marito ?

Res labyrinthis æquiparanda plicis.  
Pone, quod excrescant lumbis, pia germina, palmæ,

Ac oleam referat collaterale decus:  
Myriades prægnans utero quot mole dolorum ;

Plaustra tot à partu bajulat aucta malis.  
Quin etiam cunis ( oculatus reffero testis, )

Postponi certum est non sine bile preces.  
Filia cum flagrat vetito seu filius æstu,

Quanta molestabit sollicitudo caput !  
Ult premet hæredes rixarum theca simultas !

Vapulat ut falsis posthuma turba jocis !  
Ult taceam MUSIS turbasq; morasq; creari :

Veriloquo fieri quod probat ore PLATO.  
Stringitur opprobrijs alieno subditus æri ;

Hâc cruce conjugij pars cedò nunqua vacat ?  
Exilio plecti singas Ecclesiam, ô quam

Tempora, sed serò, non reparanda gemes ! Ämu-

Æmulus IDALIA M vultus ubi conjugis æquat,  
Prostabant vili claustra pudicitiae.  
THERSITEM præfert ecquando ferocia formæ ,  
Fel, aloë, venis sunt alimenta tuis.  
Affua dotali tollet si munere cristas,  
PAMPHILUS ad thalamum, cætera Davus eris.  
Ocyus æquoreas graphio numeraris arenas.  
Fulmina conjugibus quam nocitura pijs,  
Qui sapit, impelli tardat; mihi cautio, proinde  
Decipiat, stupeo, costa quot illa viros!

Carmen hoc feci Rector Scholæ Neunburgensis, additâ  
responsione alibi excusâ.

In Album EMERICI HELMRICI FRISII;  
versus omnes adæquales:

INsero versus temui MINERVA  
Conditos, mentis niveæ sigillum:  
Optime nostri relegens memento,  
Suavis ORESTES,  
Fallitur mercans laqueis, revendens  
Pascitur technis, redeunt lucello  
Perdito, lusi rabido latrone  
Fure clepente.

DARDANÆ quicquid reclinunt CAMOENÆ,  
GRAIÆ quicquid CHARITES ministrant,  
Codices quicquid referant HEBRÆI,  
Pectore condis.

BATTAVOS, GALLOS, ITALOS, BRITANNOS,  
Plurimi visunt, animo notandi  
Gentium moros; remigrant asello

ARCADE vecti.

D ij

Imbi-



Imbibis mores superis probatos,  
Integros labis, pietas potita  
Imperi sceptro vitijs coarctat

Pascua pravis.

Maximus quæstus probitas, dicatis  
Cælitùs posthinc placidè fruisci,  
Approbas factis; Aquilæ proinde

Æva mereris.

FRI S I ÚM quando reducem capesser  
Natio, dotes aperi salubres,  
Patriæ curans proprio potentis

Commoda Marte.

---

JOSEPHUS SCHÖRBAUM(Argentinas)  
per Anagram: Charus PHOEBO, MÜSIS.

E St ita: constanti si quem dignamur amore,  
Arte vel impulsu, vel probitate piâ;  
Ipsius ad placitum componimus omnia, nutu  
Commoniti promptas offerimusq; manus:  
Sic Charus PHOEBO cùm sis, charus quoq; M ÜSIS,  
Quas gerit in gremio PHOEBUS-APOLLO suo:  
Admirer tantos tibi cur designet honores,  
Invè corona isthac cur velit esse locum?  
Haudquaquam. Magè sed novies deciesq; beatum,  
Et ter felicem te mea M U S A canit.  
Quid mihi? pectus iners, titulos nervisq; merendi  
Exhaustum, dubium quo mea cymba fluet.  
Hæc utut ingenio pulsâ ferrugine nostro,  
Excussis fumis pectoribusq; procûl;  
Quæ negat hora mihi præsens, fors præmia cornu  
(Annue PHOEBE!) sequens sat locuplete dabit.

M. TO-



M. TOBIÆ TAUFRERO.

**L**A BACUM genitrix, per-amœna TUBINGA CAMOENA  
Formatrix, altrix contigit ARGYROPE.

Judice te, rogo, nōsse velim dignissima quæ sit?

Judicio peropu' est: gnarus ubiq; labor.  
Proxima Dijs medio virtus; decerpit honorem  
Ultimus & primus, te referente, parem.

MATTHIÆ WOLFFERO, hospiti Argentin:  
vulgò zum Spanbett.

**D**Ulcicolæ spondam qui concendisse puellæ  
Tentat, ubi VENERES, suavia, lusus, amor,  
Hunc loculis opus est fulvo turgentibus auro;  
Si nihil attulerit cogitur ire foras.

Sic quicunq; tuam cupiet concendere spondam,  
Quæsum genio mattya bella suo:

Ille vel ære carens, jejuno ventre redabit,

Debitor aut posito pignore vincetus erit.  
Alludam quorsum dictum satis est sapienti:

Isthic servanda est, hinc religanda fides.  
Quas se conjecit pernox fugitivus in oras?

Promissis CROESUS, rebus at IRUS inops.  
Est satius præsente fidem servasse periclo,

Perdere quam lepidi spe placidiq; boni.

Dn. CHRISTOPHORO KERN in album.  
FRANCICA dum propero lustrare palatia frater.

Ut tua sit curæ vis philotheca mihi.

En tibi, cui dudum concessi habitacula cordis,

Spontè manum, nomen, signaq; pono libro.

Ut visus dubitare meo de pectore, posthac

De nostra possis certior esse fide.



Viximus unanimes veluti par nobile fratum,  
Sicut amicitiae lex veneranda jubet.  
Corporis obscuret quamvis absentia, nunquam  
Munia sincerae tollet amicitiae.  
Dulcia durabunt diva-virtute, ruinæ  
Proxima sunt pravis, fœdera pacta viris.

Ad Dn. JOHANNEM BREGENZERUM  
præfectum Archiducalem Leopold: Argentin:

A udin' MUSA? meum reverendâ mente patronum  
Visito, cœlipotens sit comitissa TRIAS.

Hospitij experiere fidem, prout ambigo nullus,  
Illi introiens hospes amica domum.

Unde venis? quæret: Nova quæ? Quò tendis? At illi  
Paucula ferre feres nomine jussa meo.

Ne verò irruimpas audax, millena salutum  
Pondo feras, lassos postmodo siste pedes:

Ac, ubi quantillâ fueris statione refecta,  
Ipsi hos prælato concine honore sonos,

Muneribus, laudi duxit, pugnare vetustas,  
Præterito veteri, cum novus annus adeat,

Dona proinde tibi conferre deceret: Et ipsa  
Nominis exposcunt festa sacrata tibi.

Serica vincla petis? Mercator at exigit aurum?  
Servia plexa placet? Ver procul, instat hyems,

Pondera delestant fulvi pretiosa metalli?  
IRI non CROESI nomine nempe vocor.

Lautitias genio, generosavè musta reposcis?  
At nimios potus sobria vita negat.

Ingenij effectum præstantis? at herba resectu  
Immatura: feret fertiliora seges.

Quo-



Quocirca quia se spoliatum munere quovis  
Spectavit, votum pangere constituit.  
Te, prout elapo super alta cacumina OLYMPI,  
Tempore splendentis, nutrijt almus amor:  
Excipiat posthac idem, fœcundet opimā  
Prosperitate gradus, fertilitate domum.  
Jurgia abeste procul, tremebunda facestite bella.  
Quodq; eat ex animo numinis auspicio.  
Pestiferæ labes, & noxia damna cadunto,  
Exsuntoq; tuâ tela nefanda domo.  
Hæc pepigit tibi vota: dedit quâ suscipe mente;  
Queis sic susceptis, (nam dubitare nefas)  
Poplite curvato grates me jussit habere.  
Quæ responsa? feram: quippe petit cupidus!

JOHAN: CHRISTOPHORO REICHARDO  
Argentinâ WITEBERGAM discessuro.

Dum properas celebres LUTHERI voce Cathedras  
Spectatum, res est digna favore meo.  
Fundamenta tibi felici jacta MINERVA,  
Sunt, puto, condendis ædibus alta satis:  
Est, quia languescit morum plerumq; proborum  
Cura domi, externis est acuenda locis.  
Noxa gravis totos itidem latitare per annos,  
Elevat ingenium se vel ad astra bonum.  
ARGYROPE iccirco ALSATICÆ regionis ocelli,  
Pupula dum migrat, suavis ocelli, vale.  
Egreditor faustus turbâ præeunte sacrorum  
Spirituum, notas ingreditorq; plagas.  
Montibus affixam primùm spectaveris aulam,  
Jura PALATINUS Dux ubi justa tenet.

Claustra



Claustra MOGUNTINÆ sedis per-amœna videbis,  
Cui sacer Elector J A N SÜIGARDI præs.  
Hinc FRANCOFURTI dextrorsum mœnia cernes,  
Totius ALMANJÆ Nobilis Emporij  
GIESSA potens studijs, Musis celeberrima GIESSA,  
Nec MARPYRGÆ procūl, dum via, vise, brevis.  
Inclita MISNIACIS postremum LIPSI A terris  
(MERCURIUS PHOEBO junctus, & alma VENUS  
Sceptra ubi participant) fidei mihi credito testi  
Ingenuæ ingenuo, lumine digna tuo est.  
De qua prædixi, tandem gradieris in urbem,  
Dicitur AONIO quæ WITTEBERGA choro.  
Illic quæ pietas superis gratissima, quæq;  
Perficies, probitas jussa sequenda dabit.  
Præsenti affirmo te conditione beatum,  
REICHARDE ô patriæ sanguinitatis apex.  
Jubila venturo WITTEBERGA sonabit in anno,  
Dulceq; LUThERO laudis aroma feret.  
Seclum est, impuro valedicens pura Papismo  
Cum Verbi cepit verba docere DEI,  
Cujus participem festi te sentiet; ejus  
Extiteris siquidem portio grata Scholæ.  
JOVA secundet iter; discessum MUS A secundum  
Dum vovet, ecquid habet? JOVA secundet iter.

Fragment: Carmin: ad Nobil: M. MATTHIAM  
BRUNONEM.

Esse Poëtarum mendacia cara feruntur;  
(Conciliant si quam lemmata trita fidem)  
Me plus mentiri sexcentis posse Poëtic  
Confido, precij nil tamen indè traho.  
Vera nec effatus quicquam profecero, gignut  
Materiam litigis, liti inimicus ego.&c.



Sphalmata Typographica, cola, commata, &c.  
ita corrigantur.

**F**oetus Exil: quarti: philurā. 1. columnā. 1. linea. 20. olim, ad-  
de Ecclesiæ. col. 2. l. 11. quōt. l. 15. opus, l. 27. minusclum col. 3.  
l. 20. nec, col. 4. l. 13. charismata. l. 21. signari. col. 7. l. 13. concor-  
det, col. 8. l. 3. nata. Phil: secunda. col. 1. l. 1. tineis. col. 4. l. 22.  
init. col. 5. l. 10. ferens, l. 13. sperare. col. 8. l. 11. servitj. Phil:  
tertia. col. 4. l. 21. sancta. col. 5. l. 21. quōg. col. 8. l. 10. poëtica, ad-  
de, punct: vates, dele comma. l. 19. distichon?

Fæt: quinti, philur. 1. col. 1. l. 22. olim adde, Ecclesiæ. col. 5.  
vero, sine accent: l. 25. nectet. Philur: secunda. col. 3. l. 1. Tang-  
lymiensi. col. 4. l. 29. priori, pone comma, jñbila, dele comma. col. 3.  
l. 17. sacra, adde, sacra l. 19. at.

Fætus Exil: Sext: Philur: 1. col. 3. l. 14. nulla. col. 7. l. 7.  
BARO. Philur. 2. col. 2. l. 19. pectore. col. 6. l. 25. Satanas. Phi-  
lur. 3. col. 8. l. 12. puncta. Philur. 4. col. 2. l. 31. Ecclesian.



1. 200.00 . 2. 100.00 . 3. 100.00 . 4. 100.00 . 5. 100.00 . 6. 100.00 .  
7. 100.00 . 8. 100.00 . 9. 100.00 . 10. 100.00 . 11. 100.00 . 12. 100.00 .  
13. 100.00 . 14. 100.00 . 15. 100.00 . 16. 100.00 . 17. 100.00 . 18. 100.00 .  
19. 100.00 . 20. 100.00 . 21. 100.00 . 22. 100.00 . 23. 100.00 . 24. 100.00 .  
25. 100.00 . 26. 100.00 . 27. 100.00 . 28. 100.00 . 29. 100.00 . 30. 100.00 .  
31. 100.00 . 32. 100.00 . 33. 100.00 . 34. 100.00 . 35. 100.00 . 36. 100.00 .  
37. 100.00 . 38. 100.00 . 39. 100.00 . 40. 100.00 . 41. 100.00 . 42. 100.00 .  
43. 100.00 . 44. 100.00 . 45. 100.00 . 46. 100.00 . 47. 100.00 . 48. 100.00 .  
49. 100.00 . 50. 100.00 . 51. 100.00 . 52. 100.00 . 53. 100.00 . 54. 100.00 .  
55. 100.00 . 56. 100.00 . 57. 100.00 . 58. 100.00 . 59. 100.00 . 60. 100.00 .  
61. 100.00 . 62. 100.00 . 63. 100.00 . 64. 100.00 . 65. 100.00 . 66. 100.00 .  
67. 100.00 . 68. 100.00 . 69. 100.00 . 70. 100.00 . 71. 100.00 . 72. 100.00 .  
73. 100.00 . 74. 100.00 . 75. 100.00 . 76. 100.00 . 77. 100.00 . 78. 100.00 .  
79. 100.00 . 80. 100.00 . 81. 100.00 . 82. 100.00 . 83. 100.00 . 84. 100.00 .  
85. 100.00 . 86. 100.00 . 87. 100.00 . 88. 100.00 . 89. 100.00 . 90. 100.00 .  
91. 100.00 . 92. 100.00 . 93. 100.00 . 94. 100.00 . 95. 100.00 . 96. 100.00 .  
97. 100.00 . 98. 100.00 . 99. 100.00 . 100. 100.00 .

וְיַעֲשֵׂה כָּל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל וְכָל־גָּזֶב וְכָל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל  
וְיַעֲשֵׂה כָּל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל וְכָל־גָּזֶב וְכָל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל  
וְיַעֲשֵׂה כָּל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל וְכָל־גָּזֶב וְכָל־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל

וְיַעֲשֵׂה יְהוָה כִּי־יֹאמֶר אֱלֹהִים וְיַעֲשֵׂה יְהוָה כִּי־יֹאמֶר אֱלֹהִים







ULB Halle  
002 677 830

3



S6

Nv 1999

(1/69.)


VDA



# Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



LII SEXTUS  
ncns  
EMA T A  
n adolescentia facta;  
a, aut relecta:  
ENTIBUS  
OLE, SPE,  
SIMIS  
BÖRSTEL,  
*Magnifici Viri*  
I BÖRSTL.  
*ipis ac Domini,*  
I Senioris, PRIN-  
JI, COM: ASCAN:  
BURGL, Præsidentis &  
editarij in Güsten  
i: FILIO,  
NON  
AB ERLACH.  
*artissimi Viri,*  
B ERLACH: Equi-  
AUDATISS: Consilia-  
editarij in Altenburg, &c.  
do carissimo:  
TUS  
clesiae Pöllingensis in Palat:  
unc Exule. P. C.

. M. DC. XXVIII